Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 281

Quelle:
Copyright:

mutent per abuſum. Vomeres inquam commutant in gladios, cum ueritatem dimittentes per mendacia populum in foueam dampnacionis perpetue detrudunt; predicant enim quosque dignos venia, quum tamen odio digni ſint et a participacione Chriſti fidelium excludendi. Hinc eſt quod per abuſum precioſum illum theſaurum diſſipant magis utique quam diſpenſant. Dicunt enim remiſſionem eos obtinere peccatorum pro quocunque modico ſubſidio temporali largas indulgenciarum gracias populis ſimplicibus condonando, quod falſum eſt omnino et abſurdum. Vbi aduertendum, quod indulgenciarum donaciones ad poteſtatem ligandi et ſoluendi pertinent &c. Qua occaſione plura non ſpernenda de hac materia.

III. *fol.* 112. Collectanea homiletica in *Epiſtolas* et *Evangelia* in Eccleſia legi ſolita. Initium ab Epiſtola Jacobi: *In hac Epiſtola beatus Jacobus apoſtolus premia bonorum oſtendit que per patientiam adipiſcuntur* &c. Quae ſequuntur, potiſſimum ad *Adventum Domini* pertinent.

IV. *fol.* 157. Alia Collectanea: 1°. de Cauſſis, cur Chriſti Corpus in Miſſa elevetur. 2°. de Acceptione Munerum et damnis inde provenientibus. 3°. Fragmentum Miſſae de Lancea et Clavis Domini. 4°. Homiletica pro tempore Paſchali. Omnia levioris momenti.

V. *fol.* 176. *De Corpore chriſti et contra infideles huius ſacramenti.* Initium: *Impugnantibus verba ewangelij et ignorantibus circa ſacramentum dominici corporis* &c. Ad calcem: *Et ſic eſt finis ſermonis magiſtri. H. quem fecit in die corporis chriſti coram clero et communi populo in Boemico. Anno domini M° CCCC° VIII°.* Reipſa *Joh. Huſſi* eſt, ut indicavimus *Cod.* CCCCXXIII. et alibi, ubi additum, haberi in *Edit. Opp.* Ejus T. I. p. 202. ſed Editores in Exemplo ſuo nec notas Temporis habuere, nec ſcivere, verſionem eſſe e lingua *Bohemica.*

VI. *fol.* 181. *Utrum chriſtus omnem ſanguinem qui de corpore ſuo effluxit in eodem corpore hora reſurrectionis glorificauit.* Initium: *Nota quod chriſtum ſanguinem qui de corpore ſuo effluxit* &c. Eſt pariter *Joh. Huſſi*, extatque *Opp.* T. I. p. 191. nobis vero *Codd.* aliis, ut docet *Index.* Ultima bina *Cod.* folia ad *Fragmenta* ſpectant, a quibus N. I. recenſum auſpicati ſumus.

CIV. VI. F. 5

Codex membraneus lat. Sec. 389
XIII. Folior. 64. 4. probe ſcriptus, literis initiorum rubro viridique variis eſt *Commentarius in Threnos Jeremiae* defloratus ex amplioribus Commentariis *Paſchaſii Rathberti* O. S. B. Abb. *Corvejenſ.* in dioec. *Ambianenſi* Scriptoris Sec. IX. qui leguntur in *Bibl. PP. Lugd.* T. XIV. p. 759. juxta edit. *Sirmond. Pariſ.* 1618. f. Defloratur ex Operis clauſula huc revocandus, ubi legitur: *Sufficiant hec in lamentationum Jeremie. que de patrum fontibus hauſi*